



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Canon XXX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)



## C A N O N X X X,

## INNOCENTIUS III.

*Archidiacono, & Cancellario Altissiodoren.*

**C**Vm dilectus filius. Et infra: Cùm Hostiensis Episcopus tunc Apostolicæ Sedis Legatus Archidiacono Carnoten. mandaverit, in Ecclesiam, quam in Archidiaconatu suo, primò vacare contingeret, donationi suæ servaret, inhibens nè alicui conferret eamdem, de qua G. Clerico disposuerat providere, & Ecclesia de Berovilla ibi vacasset, idem Archidiaconus contra mandatum ejusdem Legati, ad ipsam G. Subdiaconum præsentavit, cujus factò ab eodem Legato cassato, ipse præfato G. concessit Ecclesiam sic vacantem &c. Et infra: Vacante verò quadam Præbenda in Ecclesia Sancti Martini Carnoten. Diœces. Episcopus dictam Ecclesiam ad præsentationem Archidiaconi H. Clerico, Præbendam verò præfato G assignari curavit, unde ipse H. supplicabat eamdem sibi Ecclesiam confirmari, utpote quia ad præsentationem Archidiaconi veri Patroni se dicebat adeptum &c. Et infra: Nos igitur attendentes, quod etsi præfatus Archidiaconus memoratum G. tanquam Laicus, ad illam Ecclesiam præsentasset, quia tamen per Diœcesanum Episcopum admissus non fuit, sed dictus H. ab eodem Archidiacono præsentatus, à Diœcesano Episcopo institutus, juxta Statutum Alexandri Papæ, non primus, sed secundus jus est assecutus in Ecclesia memorata, etsi Archidiaconus præfatum G. tanquam Clericus præsentavit; Quoniam in eo, quod tanquam Clericus faciebat, suberat jurisdictioni Legati; Unde postquam idem Legatus donationem illius Ecclesiæ sibi decreverat reservandam, ad eam tanquam Clericus non potuit quempiam præsentare, præsentationem ipsius minùs canonicè factam decernimus irritam, & ea non obtenta, concessionem ejusdem Ecclesiæ factam prænominato H. pronunciamus canonicam extitisse, adjudicantes eidem præfatam.



Ecclesiam, cum fructibus medio tempore perceptis ex ea plenè, & pacificè possidendam, prædicto G. super hoc perpetuum silentium imponendo.

## COMMENTARIUM.

**E**X hoc Canone, qui in Decretalibus legitur in ordine il 28. sequentem deduco conclusionem.

LEGATUS A LATERE POTEST SIBI RESERVARE, ET LIBERE CONFERRE BENEFICIA DE JUREPATRONATUS ECCLÉSIASTICO, INVITO, ET IRREQUISITO PATRONO, SECUS BENEFICIA DE JUREPATRONATUS LAICALI. *Gloss. Innocent., Abb., Anan. num. 8. Butr., Barbof. num. 4., Gonzal. hic Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 3. quest. 8. art. 1., & 2., Rocc. de Curt. eodem tract. in verb. honorificum num. 4. Federic. de senis conf. 65. Socin. Fallen. Regul. jur. regul. 356. §. Secundo.*

- 1 Legatus dicitur à *legando*, aut *legendo* quasi priùs lectus, & electus, ut publicum negotium peregre, & auctoritate publica agat, & pertractet.
- 2 Legatorum autem Sedis Apostolicæ tria sunt genera; alii enim dicuntur Legati à latere, eo quia à latere Pontificis mittuntur, ut ait *Leo Pontifex epist. 14. ad Faustum in illis verbis -- Cùm propter causam Fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere in eum mitterem, qui defensionem veritatis assisteret --* Alii sunt Legati Nati ita appellati, quia cum ipsa Dignitate, quam obtinent, ipso jure legatorum officium nanciscuntur. Alii sunt Legati *Missi*, illi videlicet, qui cum sint à latere Pontificis, neque nascuntur Legati, tamen in aliquam Provinciam mittuntur ob eorum industriam, & rerum peritiam;
- 3 Inter alias differentias, quæ dantur inter Legatum à Latere, & alios legatos, hæc assignatur à Doctoribus, quæ facit ad Casum præsentem; nimirum quod Legatus à latere conferre possit Beneficia vacantia in sua Provincia, etiamsi præsentatio ad Patronum Clericum spectet juxta supradictam conclusionem; Legati verò missi, vel nati nullam habent jure legationis facultatem conferendi beneficia juxta *Text. in cap. 1. de offic. legat. in 6. & cap. si à Sede 31. de præb. in 6.*
- 4 Ratio autem supradictæ conclusionis est, quia Legatus à latere cùm gerat vices Romani Pontificis in Provinciis sibi designatis cum amplitudine potestatis, quam alii legati non habent, idèd sicut Romanus Pontifex potest conferre quæcumque Beneficia etiam de Jurepatronatus Ecclesiastico; ita & Legatus à latere ratione legationis sibi commissæ poterit conferre Beneficia vacantia etiam de Jurepatronatus in sua Provincia. Quoad hanc conclusionem sequens examinatur Casus.

### ARGUMENTUM.

Legatus à Latere, quæ Beneficia jurispatronatus possit, & quæ non possit sibi reservare, & liberè conferre.

### SUMMARIUM.

- 1 Legatus à latere hodie non potest sibi reservare, & liberè conferre beneficia vacantia de jurepatronatus Ecclesiastico pro certa persona, secus in genere.
- 2 Nec potest sibi reservare, & liberè conferre beneficia jurispatronatus laicorum; Limita ut ibi.
- 3 Nec Beneficia jurispatronatus mixti.

### CASUS UNICUS.

**N**E quicquam, quantum fieri potest, intactum relinquamus; ad materiam hujus Canonis videndum est in hoc Casu, quæ Beneficia jurispatronatus possit Legatus à Latere, & quæ non possit sibi reservare, & liberè conferre; remittendo de cætero Lectorem ad *Sextam Partem* hujus Operis ubi plures examinantur Casus concernentes hujusmodi Beneficiorum reservationes.

- 1 Legatus igitur à Latere antiquitus poterat reservare beneficia vacantia in sua Provincia de jurepatronatus Ecclesiastico etiam pro certa persona; *Abb. Butr. n. 16. Anan. num. 3. & 4. Barbof. num. 2. hic Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 3. qu. 8. art. 1. num. 2.*



nam. 2. Hodie tamen hujusmodi reservationes pro certa persona fieri non possunt per Legatum à Latere juxta dispositionem Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 19.* licet fieri possint in genere.

Non potest tamen idem Legatus reservare, & liberè conferre Beneficia juspatronatus laicalis nisi istud competat Laico ex Privilegio, aut ex præscriptione. Etenim si ei competat ex privilegio, & præscriptione, & non ex fundatione, constructione, aut dotatione, potest ipsi ju-

ri patronatus Laicorum derogare. *Gravett. conf. 63. num. 6. par. 1. Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 3. quest. 8. art. 3. Alexand. conf. 74. tom. 4. Federic. de sen. conf. 65.*

3 Minusque valet sibi reservare, & liberè conferre Beneficia de jurepatronatus mixto, quia juspatronatus mixtum reputatur merè laicale. *Barbos. hic num. 4. Gemin. super 6. decretal. cap. unic. de jurepat. §. Verum num. 10. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 10. n. 72. & seqq.*

## C A N O N X X X I

## INNOCENTIUS III.

*Aurien. Episcopo.*

**P**ostulasti per Sedem Apostolicam edoceri, ut cùm Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad Patronos, & si in his Patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis salvum maneat eligendi, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, intitulatis hujusmodi non sint alii præferendi? Ad quod breviter respondemus, quod per intitulationem hujusmodi, nullum Patronis præjudicium generatur, quin possint alios ad illas Ecclesias cùm vacaverint præsentare: nisi de Patronorum processisset assensu.

## C O M M E N T A R I U M .

**E**x hoc Canone, qui in Decretalibus legitur in ordine il 30. sequentes deducuntur conclusiones.

**Prima** -- RECTOR ECCLESIE PAROCHIALIS POTEST ELIGERE PRO EJUS SERVITIO, ET PRÆSENTARE CLE-  
RICOS ORDINANDOS AD TITULUM SUÆ ECCLESIE, ETIAM SINE CONSENSU, ET INVITO PATRONO, QUI OR-  
DINATI, ET INTITULATI IN EA ECCLESIA AD PRÆSENTATIONEM RECTORIS, NON HABENT ULLUM JUS IN  
ILLA PRÆTER JUS ALIMENTORUM.

**Secunda** -- PATRONUS SI NON CONSENTIT HUIUSMODI INTITULATIONI FACTÆ AD PRÆSENTATIONEM RE-  
CTORIS IN ORDINE AD HABENDA ALIMENTA IN CASU INOPIÆ, PRÆFERTUR INTITULATIS, ET ORDINATIS,  
ET POSTQUAM VACAVERIT ECCLESIA POTEST REMOVERE INTITULATOS, ET PRÆSENTARE AD ILLUM QUEM-  
CUMQUE VOLUERIT. SI VERO CONSENTIT DICTÆ INTITULATIONI, ET ORDINATIONI IN CASU INOPIÆ NON  
PRÆFERTUR INTITULATIS, NEC POSTQUAM VACAVERIT ECCLESIA, POTEST ILLOS REMOVERE, ET TENE-  
TUR DE HONESTATE ILLOS PRÆSENTARE. Ità *Gloss.*, *Innoc.*, *Abb.*, *Anan.*, *Butr.*, *Barbos.*, *Gonzal. hic Lambertin. de jurepat. lib. 3. quest. 5. art. 6. & 7. Covarr. practic. quest. lib. unic. cap. 36. num. 10. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. num. 38. versic. similiter. Rot. in*

*Pars II.*

*Gggg 2*

*Pu.*